



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

11. An etiam illis, de quibus dubitatur, an sint peste infecti?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41077**

## QVÆSTIO XI.

An etiã illis, de quibus dubitatur, an sint  
peste infecti?

Quaestionis explicatio.

**P**estis morbus est initio cognitu difficilis, plures enim peste laborare deprehenduntur (inquit <sup>(a)</sup> Valeriolus) quibus neque pulsus exitialis, nec vrina, nec vix vlla aduersa validinis signa apparent, sanique videntur, & timor contagionis vsque adeo quorundam rectum iudicium euertit, vt sibi aliisque persuadeant, se peste infectos esse, cum plerumque tales non sint. Horum occasione, quid si dubitetur de aliquo, an sit peste infectus, poteritne illi ministrari hoc sacramentum?

Responsio.

**S**i probabile est dubium, potest & debet ministrari sub conditione, si vere peste infectus est; quia communis est doctrina, in casibus dubiis sacramenta ministrari posse sub conditione, vt sepius ante ostendimus, & speciatim de hoc sacramento affirmant plerique <sup>(b)</sup> Summistæ. Dixi, (si probabile dubium est) quia tempore pestis reperiuntur quidam, quia nimio

<sup>b</sup> Armilla  
verb. vnctio.  
§. 7. Taberna  
eod verb. §. 6.  
Syluest. eod.  
§. 5.

conta-



contagionis timore perculsi, sine ratione existimant se peste correptos, cum non sint: Itaque pastor vel per seipsum, vel per medicum studebit cognoscere, an probabile & morale dubium sit, an vero phantasticum ex timore vano, vel ex deprauata complexionem, vel læsione cerebri exortum, quia hoc posteriore casu non potest sacramentum istud sine illius iniuria ministrari, cum pro solis infirmis sit institutum.

Dices: Quale peccatum est inungere illum, qui infirmus non est?

R. Natura sua mortale est, & ad sacrilegium pertinet: sani enim non sunt illius capaces, ut patet: quare qui illis ministrat non secus peccat, quam si quis mulierem ordinaret in sacerdotem, vel mortuum baptifaret, vel pomum verbis sacramentalibus consecraret: verumtamen, quia ut ante diximus, hic morbus cognitu est difficilis, ut etiam periti Medici interdum decipiantur, si quis sub conditione inungat illum, qui probabiliter iudicatur peste correptus, etiamsi non sit, nullum erit peccatum.

